



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tyrocinium Theologicum

Francolini, Baldassare

Herbipoli, 1710

Pars VI. De Theologia Mystica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39295

toties in sacris Scripturis inculcati: *Nec
declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.*

TYROCINII THEOLOGICI

P A R S V I.

In qua agitur de Theologia Mystica.

I.

Theologia Mystica est, ut ini-
tio diximus, disciplina Chri-
stianæ perfectionis, & affe-
ctuum; ducens videlicet
hominem ad perfectionem
Evangelicam perfectamque cum Deo,
(quantum quidem in hac vita obtineri
potest) unionem, per tres illos gradus
Vitæ Purgativæ, Illuminativæ, & Uni-
tivæ. Trifariam ergò dividitur.

2. Prima ejus pars agit de pertinen-
tibus ad vitam purgativam, nempe de
repurgandâ animâ, eâque liberandâ
1. à peccatis gravibus: 2. à pravis con-
suetudinibus peccando contractis: 3.
à cupiditatibus immoderatis, per ti-
morem

morem Divinæ justitiæ consideratione Divini Judicii, & gehennæ excitatum, per veram pœnitentiam, per eorum fugam, quæ sunt occasio, aut incitamentum ad peccandum, per frequentem suorum actuum discussionem. Quia verò incipientes, quorum est hæc Vita, magnis post conversionem tentationibus pulsantur, præsertim luxuriæ, gulæ, tristitiæ de vita liberiori relictâ, timorum, (quos respectus humanos appellamus) desperationis, prosequendi vitam inchoatam, ac tandem nimix sollicitudinis circa vitam præteritam, suasque præsentis actiones, quam anxietatem scrupulos vocamus, ideo de singulis his tentationibus agit hæc Theologia, & contra singulas tyronem obarmat.

3. Secunda pars, quæ est circa vitam Proficientium, hos ab omni etiam peccato veniali deliberato remove curat, & modum tutum & expeditum comparandi omnes virtutes ostendit. Is autem modus est oratio, præsentia
Dei

Dei continua, meditatio frequens, præsertim eorum, quæ Christus Dominus docuit, gessit, & passus est, lectio sacrorum librorum, frequentior Sacramentorum usus: De singulis proinde agit, ac tandem de vincendis propriis hujus statûs tentationibus, quæ sunt præsertim cujusdam præfidentia de suis viribus, vanæ gloriæ, loquacitatis, curiositatis, inconstantiæ, unde tepor, & ingens periculum retrogrediendi, ac tandem redeundi ad statum antiquum vitæ liberioris, aut etiam peioris.

4. Tertia pars, quæ perfectos, seu mox perficiendos dirigit, agit 1.º de perfectione Evangelica, & motiva proponit convenientissima, & validissima ad ejus amorem excitandum. Mox quæ sint propria hujus statûs ostendit, hæc autem sunt virtus heroica: perfecta abstractio à creatis omnibus, oratio affectiva & perpetua, quantum fieri potest, gaudium de sola excellentia & bonitate Dei, ejusque gloria, perfecta

fecta conformitas cum ejus voluntate, ac tandem contemplatio, de qua potissimum agit, docendo, quæ ipsam vel impediunt, vel juvant, qui sint ejus gradus, cujusmodi sunt Intuitio veritatis, secessus virium animæ ad interiora, spirituale silentium, Quies, Unio, Auditio, loquelæ Dei, spiritualis Somnus, Extasis, Raptus, Apparitio Christi & Sanctorum ejus imaginaria, Visio intellectualis, Visio Dei in caligine, admiranda manifestatio Dei. Quia verò hæc imitari contendit dæmon, transformans se in Angelum lucis, agit etiam de falsa contemplatione, dæmonum locutionibus, apparitionibus, earumque indiciis. Falsas autem (in fœminis præsertim) esse hujusmodi apparitiones, locutiones, extases, aliâque hujusmodi, eventus quotidie demonstrat, monétque mysticum Directorem, ne decipi se sinat, ut innumeri decepti fuere, quamvis docti, probique essent, neque harum rerum penitus imperiti.

s. De

5. De Mystica porrò Theologia agunt S. Dionysius Areopagita, & antiqui Patres, quorum collationes refert Cassianus, sparsimque in suis operibus ferè omnes SS. Doctores, aliique multi qui tractatus asceticos edidère. Studiosius verò totam hanc disciplinam pertractasse videtur Jacobus Alvarez de Paz tribus tomis, quorum primus inscribitur de Vita spirituali, ejusque Perfectione, secundus de Exterminatione mali, & Promotione boni, tertius de Inquisitione pacis. Itemque Antonius le Gaudier, & Ludovicus à Ponte, & ipsi Soc. Jes. quorum primus de perfectione scripsit unum tomum; quatuor alter, præter illum, qui inscriptus est: *Dux spiritualis*.

Disc. Ultimum denique mihi solatium pro facilitate mea non denegabis, quod in eo præstabis, si recensitas modò propositiones juxta ordinem Tractatum Theologicorum dispositas afferas.

Mag.

